



Misc. I, 6<sup>n</sup>.

1,63

12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36



47

LECTVROS  
SALVTE PLVRIMA IMPERTIT

ET  
AD AVDIENDAM

ORATIONEM

INAUGVRALEM

POSTRIDIE F. MICHAELIS

ARCHANGELI

IN AVDITORIO THEOLOGICO

RECITANDAM

QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITAT

GOTTLIEB VVERNSDORFIVS

SS. THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN.

TEMPLI OO. SS. PRAEPOSITVS

SENAT. ECCLES. ASSESSOR

ORDINISQVE THEOLOGORVM

H. T.

DECANVS.





uanquam Saxonum natio recuperando, Lutheri opera, Evangelio, nihilo fuit, quam gentes ei vicinae, ac per Europam, Germaniamque, diffusae, dignior; negari tamen non potest, in Veritate divina vel restituenda, vel retinenda, singularem Numinis gratiam erga Saxonem eluxisse. Enimvero necessariam esse Sacrorum emendationem, etiam Pontificios inter, sapientissimus quisque fatebatur. *At illam e Saxoniae, ut loquebantur, angulo, oriri debere, id vero cum sua prope ignominia conjunctum* putabant. Deus tamen, qui, quo pacto suam debeat dilargiri gratiam, leges sibi figi non patitur, sua pro bonitate effecit, ut, quicquid nunc purioris doctrinae superest intra Orbem, id fere e Saxonia promanarit. Invidit hanc ei felicitatem Satanas, qui magno in id nisu incubuit, ut quoquo eam modo corrumperet, nosque vel ad priscas superstitiones reduceret, vel novos in errores praecipitaret. Ac vi quidem, & armis, vix semel, iterumque, tractavit rem: saepius astu, & insidiis, negotium urfit, ac sensim, paulatimque, coetus nostri propugnaculis successit, multosque aditus, quibus irrumpere in arcem possent, tentavit. Nihil nunc de *Coelestibus Prophetis, & Carolo studio, nihil de Antinomis, nihil de Interimistis, & Adiaphoristis, vel etiam Flacianis, dicam.* Solum nunc *Crypto-Calvinianorum* exemplum ad id, quod prae manibus habemus demonstrandum, suffecerit. Deum immortalem, quam callide, quam veteratorie, religionem, Lutheri opera instauratam, corrumpere, Zvingliique, & Calvinii, damnata dogmata nostram in Saxoniam, & hanc praecipue Academiam, invehere sunt conati! Difficile est, omnes illos, quos expu-

expugnandae veritati adhibuerunt, nunc arietes, nunc cuniculos, edisserere: *quatuor* tamen, si recte rem consideres, occurrunt, quibus illi ad *Calvinismum*, sub ipso veritatis amplificandae praetextu, invehendum, grassati sunt. *Primus* fuit *auctoritatis sanorum Doctorum*, ac inprimis *LV THERI*, *depressio*. Theologos enim tota de Ecclesia supra, quam dici potest, meritos, *Bugenhagenium*, *Jonam*, *Crucigerum*, *Brentium*, reliquos, *indoctos asinos*, *scurras*, & *fatuos*: *LV THERVM* vero, quod atrocius criminari non audebant, *Martinum Teutonnicum*, *turbulentum* & *rigidum Papam*, per contumeliam vocabant, ac, ne quid ad summam impudentiam deesset, eum, paulo ante obitum, in castra *Sacramentariorum transfuisse*, fingebant a). In *Melanchtonem* e contrario tanto quidem affectus impetu ferebantur, ut nulla publice Oratio haberetur, nulla valvis intimatio affigeretur, in qua non Philippus eveheretur ad astra, nulla Lutheri mentione injecta. *Mylus* meminit, auditum fuisse, qui diceret, *se cum Philippo malle in inferno, quam in coelis cum Luthero, versari*. b) Quo ipso nec atrocius dictum, nec stolidius effatum, unquam legimus. Quin & ea forma imaginem *Lutheri*, & *Philippi*, excudere coeperunt, ut ille huic latus, velut dignitate inferior, claudere videretur. Imo *Philippistae* tandem audire propalam affectarunt, quo vel hoc pacto *LV THERO* se nuntium remisisse, imo bellum indixisse, significarent. Sequebatur aperta *Symbolorum*, vel *mutatio*, vel etiam *abrogatio*. Confessionem quippe Augustanam, vivo adhuc & superflite Luthero, privato suo consilio, in gratiam *Zwvingliano-*rum, mutarat *Philippus* c). Quo nomine cum a Saxo-

) ( 2 ne acri-

a) Vid. Myl. in Com. Misn. b) l. c. c) Vid. Acta Coll. Altenb. f. 464. ed. Jen. Hutter. in Conc. c. XXI, p. 630. def. Pup. Sax. p. 343. 374. Acta Colloqu. Hertzberg. p. 92. ed. Servest.

ne acriter increpitus, d) & ab ipsis Pontificiis in Con-  
ventu Ratifponensi e) notatus fuisset, Confessionem qui-  
dem pristinae integritati restituit: post mortem vero  
LVTHERI, & memorabilem illam rerum in Saxonia  
conversionem, cum omnes ad se unum confugere, o-  
mnes a se uno consilium, opemque, exposcere, vide-  
ret, ad ingenium rediit, mutatamque a se Confessionem  
non solum defendit, sed & Corpori doctrinae suae in-  
fertam, primae illi, minimeque mutatae, antetulit. f)  
Vnde adeo factum, ut, qui e schola ejus ac disciplina  
prodierant, hanc ipsam non solum contemptui ha-  
berent, sed &, nefandum dictu, *haereses* postularent. g)  
Detectis postea eorum insidiis, AVGVSTVS, Sa-  
xoniae Septem - Vir, eandem a Zvvinglianorum  
maxime cavillationibus, condita *Christianae Concor-  
diae Formula*, tutam praestare studuerat. At, vix  
oculos clauserat, vix animam sanctissimus Princeps  
exhalarat, cum ille positus Calvinianis obex, illa sanio-  
ris doctrinae tessera, illud assertae veritatis compendi-  
um, omni auctoritate detracta, prosciberetur. Equi-  
dem qui Augusto successerat filius, CHRISTIANVS I.  
non modo Formulae Concordiae lubens subscripserat,  
sed, Ordinum quoque provincialium rogatu, recepti  
eo usque Libri Symbolici, in iisque Formula C. pro  
*norma fidei* ut haberentur, sanciverat h). *Crellius* tamen,  
qui nec imperante *Augusto*, nec imperante *Christiano*, ut  
Formulae Concordiae fidem obligaret, induci se passus  
fuerat i), mox Principi studuit persuadere, Formulam  
Concor-

d) Seckendorf. L. III. Sect. XVI. §. 60. f. 165. & §. L. f. 142.

e) Vid. Hist. A. C. f. 300. 396. Acta Colloqu. Altenb. l. c. Wi-  
gandus in hist. A. C. p. 31. f) Conf. Hist. A. C. a nobis vin-  
dicata §. 19. g) Myl. l. c. h) Vid. *der 3. Pred.* Exam. Exam. Pier.  
p. 153. i) Vid. Schlegel, in Vita Sup. Dresd. Glaferi p. 46.

Concordiae ab Augusto *ea conditione* investam in Aca-  
demias fuisse, siquidem cum sacris literis conveniret.  
Quo de cum nondum satis constet, satius esse, ad illius  
custodiam, et observantiam, neminem obligare k). Pri-  
mo igitur nulli ad subscribendum obrudendam pu-  
tabat: hinc memoriam ejus honeste sepeliendam esse,  
dicebat: denique ut librum, qui non redintegrandae  
Concordiae subsidium, sed discordiae fomentum, liti-  
umque inter Doctores materia esset, abolendam esse,  
clamabat. Incredibile dictu, quibus convitiis exagita-  
tus tum temporis fuerit innocentissimus libellus. Jo.  
Major, Poeta, perjurii, & adulteratae monetae, reus,  
in ipsis *Catharinalibus*, acerba Oratione in eundem, &  
auctores, defensoresque illius, Theologos, investus fue-  
rat l). *Georgius Placcius*, Pastor & Superint. Offitiensis,  
Salmuthi affinis, eundem *sceleratum esse, ac impium*,  
retractata subscriptione, vociferabatur. m) Alii *Pomum*  
*Eridos*: alii *Pandoram Vulcani novam*, vocabant n). Ad mar-  
ginem formulae juramenti, a Candidatis honorum Theo-  
logicorum praestandi, *Polycarpus Lyserus*, Senior, ὁ πάλιν,  
verba quaedam, quibus juraturus, *Augustanam Confessionem*  
*in Formula Conc. Ao. 1580. edita repetitam esse seipsum vero*  
*Formulae corde, manuque, subscribere*, testari debebat, nota-  
verat. Haec *D. Henricus Majus*, quantum e manu col-  
ligo, decussavit, nec sine ignominia, induxit. Usque  
adeo ne nomen quidem *Formulae Concordiae* isti homines  
ferre poterant. Postremo, ne quis ei deinceps relinqueretur  
locus, surrogabatur ei *Corpus doctrinae Philippi*, cujus ad  
praescriptum tum lectiones institui, tum conciones habe-  
ri, tum totam denique doctrinam concipi debere, contende-  
bant. Quod cum facere dubitasset *D. Georgius Mylius*,

) ( 3

k) Mylius l. c. Schlegel. p. 45. l) Schlegel. l. c. p. 55. m) Id.  
ib. p. 47. n) Mylius in Com. Misn. qui

qui aliquot ante annis, ex incluta Jenensi, in hanc No-  
 stram, honestis conditionibus, fuerat accersitus, amplis-  
 simo *Cancellarii* munere, quo antea perfunctus fuerat,  
 privatus, & sexcentis florenis annuis, est multatus. o)  
 Adjiciebatur *postea prohibitio elenchi*. Decreto quippe ca-  
 vebatur publico, ne cuiquam fas esset, de rebus sacris  
 quicquam in publicum emittere, nisi prius communi-  
 catum cum Aula, hoc est, a Crellio, & aliis fabulae  
 Calvinianae actoribus, approbatum fuisset p). Et  
 huic quidem instituto praetexebatur studium minuen-  
 di controversias, vel meliora etiam ingenia protrahen-  
 di in lucem, revera id agebatur, ut Nostri adimeren-  
 tur arma, quibus traditis, hostibus veritatis, cederemus  
 in praedam. Huc enim & istud procul dubio manda-  
 rum spectabat, quo severissime injungebatur Ecclesia-  
 rum Ministris, ne *Sacramentarios* pro concione perstrin-  
 gerent, aut lupum expresso nomine inclamarent, quo  
 hic, pelle ovina tectus, gregem Domini disjicere,  
 nemine prohibente, posset. *Tandem rituum* quoque &  
*ceremoniarum*, inprimisque *Exorcismi*, *violenta mutatio*,  
*abrogatioque*, adjecta est. Quia enim hic, & omnium  
 sententiis, pro libero habebatur, & in nonnullis, alioqui  
 recte constitutis, Ecclesiis, utpote *Würtembergicis*, non  
 habebat locum, *Crypto-Calvinistae*, auctore *Crellio*, fa-  
 cile se effecturos putabant, ut eundem, una cum aliis,  
 sub praetextu reliquiarum Papatus, jam dudum exagi-  
 tatis, ceremoniis, abrogare sibi liceret. Quo ipso pu-  
 riori coetui, ac religioni, non leve conflagratur pericu-  
 lum. Cum enim Ecclesiae nostrae, Divi *LV THERI*,  
 & sociorum, opera, sibi a papisticis superstitionibus  
 plenarie repurgatae viderentur, surgebant nunc homi-  
 nes, qui earundem non paucas, easdemque intolerabi-  
 les, in

o) l.c. p) Mylius l. c.



les, in ea superesse, clamarent. Unde adeo quicquid tentabatur hujus, id pro suggestu necessariae repurgationis nomine identidem commendabatur ab iis, & pro *illuminatione*, suis maxime temporibus, divino beneficio, reservata, venditabatur q), non sine insidiis, veritati paratis. Uti enim rituum Papisticorum, & pridem abolitorum, ab Interimistis postulata reductio, *Spanhemii* iudicio r), pons erat, per quem A. Conf. focius redeundum erat ad *Papatum*; sic rituum libere ab iis retentorum importuna rejectio revera pons erat, per quem Nostri transire ad *Calvinismum* debebant. Nec id sua pro vafrutie ignorabat *Crellius*, qui tum demum voti se compotem futurum, aditumque invehendo Calvinismo patefacturum, putabat, si exorcismum, & alias invisas sibi ceremonias, tanquam pacis, & concordiae, inter Protestantes remoras, & obstacula, removisset. Initio igitur, cum Sacris Christianorum sacro lavacro initianda esset, quae Saxoni recens erat nata, filiola, Principem nihil mali vel metuentem, vel suspicantem, ex improvise adeunt, eidemque persuadent, ut eo in actu, cui exteri quidam, illi ceremoniae minime assueti, interfuturi sint, omisssam vellet. Quo tempore usque adeo ex insidiis, & composito, aggressi sunt Principem, ut *Pierius* ipse, qui t. t. Sacrorum in Urbe Dresdensi Antistes erat, adhibitas tam sancto in negotio artes quodammodo improbare sit visus s). Qui tamen ipse cum *Crelho*, ceterisque, colludit, nec ita multo post convocatis Collegis, quid actum esset, aperuit, eorumque de eo ju-

q) Vid. Myl. in Com. Misn. r) In Elencho Controv. p. 96. s) Vid. der 3. Pred. Ex. Exam. Pier. p. 170. 180. ubi commemoratur, Pierium ipsum falsum fuisse, daß es mit der Abschaffung des Exorcismi bey des Chur-Fürstl. Fräuleins Tauffe auf gut Westphalisch, Eulenpiegelsch, und Marcolpisch zugegangen.

eo iudicium requisivit, & serione exorcismum pro ritu libero, & saluo baptisinate, omittendo haberent? discere voluit. Quod utrumque cum illi sic affirmassent, ut nihilominus citra necessitatem, & cum offensione infirmorum, abrogandum esse, negarent; *Pierius* eorundem responsonem, procul adjecta cautione, ad Principem retulit, eumque in proposito confirmavit. t) *Schönfeldius* autem, cum ei successisset in munere, (suasu enim *Crellii*, & sociorum, *Pierius* Sacerdotium primum, & Ephoriam Dresdensem, cum *Vittebergensi*, commutarat,) tanta quidem abrogandi exorcismi cupiditate flagravit, ut se *frustulatum discerpi, quam ritum illum diutius observari*, malle, pronunciaret u). Neque enim vel rationibus, vel maturis etiam deliberationibus, relinquebatur locus: minis, imperio, vi, carcere, exilio, multis, omnia agebantur. Quod *Fribergenses*, quorum alioqui erat explorata fides, cum primis experti sunt, apud quos, ob constantem exorcismi defensionem, & Sacrorum antistes, *Krautvogelius*, loco motus, & Cives oppido multi inclementer tractati sunt. A Calvinistis vero clandestinis, qui tum hac in Urbe Senatui Ecclesiastico assidebant, subornatus est *M. Bernhardus Apitius*, Pastor & Superintendentens *Belzigenfis*, qui ad Consistorium scriberet, sua in dioecesi esse permultos, qui exorcismum averfarentur, quos praeter imperitas quasdam aniculas nullos omnino fuisse, postea est compertum x). Hac in Academia, & Urbe, quid gestum sit, *D. Henricus Majus*, Aedis OO. SS. Praepositus, at consiliorum istorum particeps, in *Collegii no-*

t) Weck. Chr. Dresd. p. 313. & Schlegel. in Vit. Sup. Dresd. p. 59. 60. sq. u) Vid. der 3. Pred. Ex. Exam. Pier. p. 97. Schlegel. in Vita D. Laurentii Sup. Dresd. p. 19. x) Vid. Myl. in Com. Misn. l. d. & Schlegel. in Vit. Theoph. Glaferi p. 61. sq.

gii nostri annalibus manu sua his verbis aperuit: *Dominica Laetare D. Urbanus Pierius publica concione Exorcismum, cujus usum paulo ante liberum esse voluit infirmioribus, abrogat. Nec multo post assumpto D. Calamino, & conscriptis quibusdam articulis, seu quaestionibus, de Exorcismo, colloquium agit cum Theologis Consistorii Lipsiensis, & Misnensis.* Ita enim convenerat inter Fabulae hujus actores, ut, communicatis consiliis, & junctis viribus, omnia Consistoria urgerent negotium, a quibus postea, quotquot Ecclesiis, vel in oppidis, vel in agris, praeerant, citati, & ad abjiciendum exorcismum, vel persuasionibus inducti, vel minis compulsi sunt, paucis obloqui, ac resistere ausis, qui sine mora excussi, & vel sententiam mutare, vel solum vertere, sunt iussi. Quod quidem usque adeo verum est, ut is ipse, quem supra excitabam, *Majus*, iisdem in *Annalibus Nostris*, id diffiteri nequierit. *Cum ad mandatum, inquit, Illustrissimi Principis, ac Electoris Christiani, approbationem formulae, nuper de Exorcismo conscriptae, Consistoriales ab omnibus Ecclesiarum ministris exigere, quidam eam omnino reprobaverunt, ac propterea ejecti sunt.* Bono scilicet, ingenuoque, Principi persuaserant, Cives suos plerosque omnes, ipsosque adeo Ecclesiarum Ministros, pleniorum Sacrorum instaurationem, cum totali reliquiarum Papatus ejectione conjunctam, exposcere, imprimisque *exorcismi*, tanquam ritus omnino Papistici, abrogationem desiderare. Recte igitur facturum Principem, si bene animatorum precibus id daret, refractarios autem & contumaces, excuteret, talique modo emendationem sacrorum, quam meditatus sit *AVGVSTVS*, Pater, absolveret ipse, & consummaret. Inde adeo factum, ut eodem, quo *Wittenbergae*, anno *MDXCI*, paulo tamen serius, die scilicet *IV. Jul.* exorcismus etiam in Regia Urbe *Dresna* inciperet omitti, curante inprimis *Crellio*, frementibus Bonis omnibus, & mirantibus, quod Princeps hujus unius consiliis transversum se abripi pateretur. Etsi enim, praeter eum, aliis quo-

)(

que in

que in locis erant, qui manibus, pedibusque, id agerent, utpote Schönfeldius, Steinbachius, & Salmuthus, Dresdae, Pirrius, Majus, Calaminus, & Auleander, Wittenbergae, Gundermannus Lipsiae: Crellius tamen omnium machinationum dux & auctor erat. Hujus a consilio, & jussu, pendebant omnes: huic obediētes, in hunc intuentes, brevi fese de Aug. Conf. socii, ac Saxonia, triumfatuos, sperabant. Vnde adeo factum, ut & CHRISTIANVS Saxo in exterorum suspicionem incideret, & Crellius ipse peculiaribus ad Palatinum literis, Herum se suum ad Calvinianorum partes traxisse, quo jure, optimus quisque judicet, gloriaretur. (y) At enim

y) Incidi aliquando in Volumen MSt. de rebus eo tempore in Saxonia gestis, in quo, post alia plura, notatu dignissima, reperi exemplum literarum N. Crellii, ad JO. CASIMIRVM, Palatinum, quas, quia nec apud Hutterum, nec apud alios, inveni, ad illustrationem historiae integras hic exhibeo:

Durchlauchtigster Hochgebohrner Fürst, Ew. F. Gn. seyn meine unterthänigste Dienste iederzeit bevor, Gnädiger Fürst und Herr,

**E**w. F. Gn. soll ich zur guten Zeitung unterthänig nicht bergen, daß ich nunmehr den Chur - Fürsten zu Sachsen, Meinen Gnädigsten Herrn, dahin beredet, daß wegen der Religion er mit Ew. F. Gn. einig seyn will, derowegen wollen Ew. F. Gn. nun auch wieder bey Sr. Churfl. Gnaden umbtreten, damit, wenn die Landschaft sich deß verwegern wolte, wie sie sich denn schon allbereit allerley Mucken verlauten lassen, damit man denselben also begegnen möchte, daß derselben Übermuth gestraffet würde, wiewohl Ihrer Churfl. Gn. Gemabl auch sehr darwider ist, Sie aber vielleicht von ezlichen ihren Rätben also beredt, Sie mögen sich aber wohl versehen, damit auf Sie gegeben werden, damit das vorgenommene Werck seinen Fortgang gewinnen möchte, daran ich denn keinen Fleiß sparen will, wie ich denn schon auch mein Bedencken dem Land - Grafen zu Hessen geschrieben habe, verbhoffe, Ihre F. Gn. werden auch bey Sr. Churfl. Gnaden umbtreten, darnach will ich sehen, was die Landschaft thun will, mit den Pfaffen will ich wohl zurechte kommen, die müssen tanzen, wie ich pfeiffe. Was auch sonst ferner mit Ihrer F. Gnaden ich ietzo vorhabe, soll Ew. F. Gn. hernach vernehmen, welches ich Ew. F. Gn. im Vertrauen habe melden wollen, und

enim cum facta jam & transacta omnia viderentur, DEVS ex machina intervenit, Saxonemque placida, nec opinata, morte isti calumniae tempestive subtrahit. (2) Quo facto tanta rerum conversio est secuta, ut, qui antea brevi temporis spatio universam se Saxoniam subacturos putarant, desperatis nunc rebus vel summa cum trepidatione profugerent, vel se quam primum honeste dimitti peterent, vel, in vincula publica coniecti, promeritas poenas darent, cum e contrario strenui veritatis assertores, ac vindices, vires, animosque reciperent, & ab exilio ad stationes suas redirent, denique exorcismum paulo ante, cum libertatis Christianae jactura, prohibitum, in Calvinistarum odium, revocarent. Quod ipsum quam momorderit Viros, denuo ex Ordinis nostri annalibus liquet, quibus non semel excitatus D. Henr. Majus hæc verba inseruit: *Electore sepulto, Civés (VVittebergenses) nescio quibus furiis acti, exorcismum restitui petiverunt, & multis hinc inde conquistis articulis D. Pierium gravissime apud Senatum accusaverunt. Antequam autem hæc res legitime cognoscebatur, literis Illustriss. Principis Saxoniae Frid. Wilhelmi D. Pierius d. 13. Nov. custodiae traditur in arce. Vacante itaque Pastore, & Consistorio enervato, ad vulgi petitionem exorcismus ab infimo Diacono, quem Pestilentialem vocant, restituitur. Atque hæc quidem erat gravis illa, ut ipse Majus l. c. nominat, motuum Saxoniorum de exorcismo e-pitasis, quam quidem nunc copiosius traderem, nisi Dignissimi honorum Theologicorum Candidati memoria me*

)) ( 2

avoca-

bin Ew. F. Gn. unterhänigste Dienste zu leisten schuldig und gestiffen, Dat. Dresden, den 4. Augusti, Anno 91.

E. F. G.

Unterhänigster,  
Nicolaus Krell, D.

Adderem nunc alias ejusdem N. Crellii ad D. Ehemium, Palatini Cancellarium, (quem perinde, ut JO. CASIMIRVM, Calvinismo addidissimum fuisse, constat, de eodem hoc argumento, memorabiles, nec dum editas, literas: dum pagine hujus angustia capere posset.

2) Conf. hist. narratio de vita & obitu Christiani I. Sax. Elect.

avocaret. Cujus de majoribus, majorumque fatis, cum exposuero, tum vero, unde omnis illa scribendi materia mihi enata fuerit, facile patebit. Is vero est Vir *Maxime-Reverendus, Nobilissimus, Amplissimusque Dominus, M. JOANNES RVDOLPHVS CADEMANNVS*, Ecclesiae Pegaviensis Pastor primarius, hujusque, & vicinarum, Superintendens. Natus hic est anno Seculi superioris LXXX. die Februarii XIX. ex familia clara, & honesta, quaeque inde a repurgatae religionis temporibus Ecclesiae Doctorem tulit non unum. Patrem quippe habuit, *M. Jo. Georg. Cademannum*, Ecclesiae Wurzensis Archi-Diaconum, Matrem *Annam Dorotbeam Vibigiam*, Jacobi Vibigii Consulis olim Offitiensis filiam, feminam omnibus sexus sui virtutibus ornatam, quam prope octogennariam nihilominus superstitem se habere magnopere sibi gratulatur. Avus ei fuit *M. Georgius Cademannus* Pastor & Superintendens Offitiensis: Proavus *M. Balthasar Cademann*, Theologus cordatus, & ob multas, quas veritatis ergo pertulit, vexationes martyribus adscribendus. Erat hic initio Saxoni AVGVSTO a concionibus, & ob singulares, quibus effulgebat, corporis, animique, dotes in Aula non parum gratiosus. CHRISTIANO autem primo gubernaculis Reipublicae admoto, cum Crypto-Calvinistae, duce ac auctore *Nic. Crellio*, qui nihil non poterat apud Saxonem, multa receptae religioni adversa, multa Formulae Concordiae contraria, moliretur, *Balthasar* vero ista pro concione refelleret ac taxaret, Herumque de cavendis, quae sibi struerentur, insidiis moneret, *Crellius* invisum sibi Ecclesiasten, vel sub honoris specie, ab aula remove constituit. Cum proinde Sacerdotium in urbe Pirnensi primarium, cum adjuncta Ephoria, vacaret, sua quidem effecit solertia, ut *Cademannus* & tabulas, quibus ad ista sanctissima munia vocabatur, & mandata, quibus, ne oblatas respueret, monebatur, acciperet. Paruit *Cademannus*, aulaeque valedixit, Pirnamque migravit. At cum hic quoque Calvinianorum errores  
refu-

refutaret, artes detegeret, ac Electori, cum aliquando Pirnam praeterveheretur, una cum omnibus suae dioeceseos sacerdotibus, libellum supplicem, quo abrogationem exorcismi deprecabatur, offerret, Saxo equidem eundem non inclementer accepit, & ad *Crellium* conversus, tantum, quantum *jactaverit, ministrorum Ecclesiae, in exposcenda Exorcismi abolitione, consensum sese deprehendere negavit*: (a) *Crellius* autem isto facto supra modum irritatus non solum eundem cum sociis *refractarios, contumaces, ac rebelles* esse, criminatus fuit, sed & familiari sibi artificio, mandata quaedam Hero, quibus *Balthasar* intra biduum Urbe excedere, & solum vertere, jubebatur, extorsit. Quae cum *Cademanno* exhiberentur, simul praesto erat, qui ei in sacerdotio, & gubernatione Ecclesiae, succedere debebat, Calvinista. Unde, tempori cedendum esse, ratus, tum quidem exulatum abiit in ditiones Mansfeldicas: verum non ita multo post, mutata rerum facie in Saxonia, Pirnam solenniter reductus, pristinam dignitatem, & locum, cum summa Bonorum omnium, ipsiusque adeo Serenissimi Ducis FRIDERICI VVILHELMI, qui tum Electoratus Saxonici provincias administrabat, clementissima gratulatione, quam etiam nunc studiosissime asservat gens *Cademanniana*, recuperavit. Talibus ergo cum Noster oriundus esset parentibus, studiis sacris a prima est destinatus infantia. Et puerum quidem ad pietatem & morum honestatem formavit, primasque adeo literas docuit, ipse Pater. Quem cum septimo aetatis amisisset anno, & postea alium atque alium accepisset Magistrum, traditus demum fuit in disciplinam *Romani Telleri*, ludi VVurzenfis Moderatoris, cujus in se instituendo dexteritatem, ac fidem, satis a se depraedicari posse negat. Hoc enim praecipiente tantas in literarum cognitione progressionem fecit, ut anno aetatis suae XVI. Graeca de *Pietate hypocritica* Oratione, ludo VVurzenfi valedicere, seque in vici-

a) Vid. *Crellii Leib-Predigt* p. 37.63. & 3. *Pred. Exam. Exam. Pier.* p. 169.

nam huic Lipsiensem Academiam conferre potuerit. In qua cum, ob rem angustam domi, vix biennium sese commoraturum putaret. Deus sua pro bonitate, ut totos XII. annos, fratris tamen Germani *M. Jo. Adolphi Cademanni* Pastoris Ecclesiae Zschortensis, & honestissimae *Wincklerorum* familiae, beneficentia sublevatus, subsistere posset, effecit. Superbiebat tum Lipsia Celeberrimis Viris *Herrichio*, *Oleariis*, *Menckenio*, *Schmidio*, *Cypriano*, *Ittigio*, *Alberti*, *Carpzovio*, aliis, qui, pro sua quisque parte, divinas, humanasque, scientias, ornabant. Horum ab institutionibus, ceu vivis quibusdam, limpidisque, fontibus, flumen aliquod doctrinae purioris, ac solidae, derivabat. Initium discendi a linguis fecit, quibus, velut in cistellis, & capsulis, optimarum rerum notitias inclusas, reconditasque esse, meminerat. In Romana igitur literatura *Crellium*, in Graeca, *Herrichium*, in Orientali vero, & sanctiore, *Starckium*, Seniore, & hunc quidem totum sexennium continenter, omnes vero remotis arbitris, & intra vela docentes, audivit. In Historia Civili *Franckensteinio*, in sacra, *Ittigio*, in literaria, *Oleario*, Juniori, tum ex itinere Britannico reduci, sese erudiendum praebuit. In arte dicendi, ac disputandi, *Celeb. Schmidii* doctrina usus est. Ad diviniorem vero disciplinam cum satis sibi praeparatus videretur, adiit *D. Guntberum*, Theologiam Theticam, & Polemicam, nec non *D. Jo. Olearium*, Moralem, & Exegeticam, tractantem. Frequens cum primis intererat stas eruditorum congressibus, qui Mercurii, & Saturni, diebus, haberi solebant, quibus se nunquam interfuisse, testatur, quin doctior ab iisdem redierit. In concionem prodiit primum, quum jam quatuor annos in Academia vixisset, nec enim prurimum perorandi ad populum in juventute laudabat. Interim delectabatur scholis Homiletico-Practicis *D. Jo. Ben. Carpzovi*, Chrysoctomi Lipsiensis, cujus audiendi cupiditate satari quisquam vix poterat.



poterat. Penitus autem bene, copioseque, concionandi rationem imbibit a Duum-Viris illis, *Seeligmanno*, & *Pippingio*, socero, & genero, non sanguinis modo, sed honorum quoque societate conjunctis, qui t. t. *Lipsiam*, mox *Dresdam*, & universam Saxoniam, meritorum suorum gloria illustrabant. Magister Philosophiae creatus, locum inter Epopras sibi vindicavit, erudita de *Schola Libertinorum* disputatione, ad quam postea quatuor disputationes de *Erroribus Fanaticorum*, Praefide *Oleario*, Sen. adjecit. Hinc ipse coepit aperire scholas, Linguarum maxime Orientalium, ea quidem frequentia, & applausu, ut totum prope diem docendo consumeret, & horam horae conjungeret, cum & Libros Vet. Instrumenti plerosque omnes, Philologica tractatione percurreret, Historiamque Sacram, & Institutiones doctrinae Christianae, proponeret. Tali modo cum integros XII. annos in Academia, procul omni fastidio, exegisset, & locus inter Numburgensis Ecclesiae ministros vacaret, Noster eum modeste ambiit, &, nemine refragante, obtinuit, nec ita multo post a tertio ad secundum ascendit. Ea in Urbe aliquot annis docuit, multo cum applausu, nec sine fructu. Nunquam enim procul tenerae voluptatis sensu recordari potest, quanta auditorum frequentia sit usus, ubi pro concione in Joannis vel Evangelium, vel Epistolas, commentatus fuit. Interim nec defuerunt, quae illius excruciant mentem, & ad preces eum, patientiamque, compellerent. Praeterquam enim, quod a falsis fratribus, qui saepe Collegarum molestias suis in deliciis numerant, subinde in officii partibus est vexatus, etiam ferali illo ardore, quo Numburgum, maximam sui partem, superiore anno deflagravit, suppellectilem

lem non solum familiarem, sed & librariam, &, quorum irreparabilem jacturam etiam nunc deflet, adversaria sua, maxime quae ad Philologiam Ebraicam spectant, amittit. Interim Patronorum munificentia, & hominum piorum liberalitate, sublevatus, damnum isto incendio acceptum utcunque reparavit, hoc autem ineunte anno, a Senatu, Populoque Pegaviensi, ad sacerdotium in urbe sua primum, quocum vicinarum Ecclesiarum gubernatio de voluntate Principis, cohaeret, vocatus est. Quibus muniis ut sese non indignum ostenderet, ab Ordine nostro modeste petiit, ut sibi, publici testimonii ergo, summos in Theol. honores capeſſere liceret. Quod uti a Nobis, pro meritis, impetravit; sic crastino die cursum speciminum publicorum solenni *Oratione de Commodis Reformationis LUTHERI, quoad Theologiam, non modo Theticam, sed & Moralem,* orsurus est. Cui ut *Magnificus Academiae PRO-RECTOR, Per-Illustris Comes, Illustres Lib. Barones, Patres Academiae conscripti, Omnium Collegiorum Doctores & Aſſeſſores, Rev. Ecclesiae Oppidanae Ministri, Cives* denique, ac Literati omnes, frequentes interesse dignentur, meo, Collegiique, nomine, reverenter, & officiose, rogantur. Precamur autem immortalem DEVM, ut Ecclesias Saxonicas, quas tum temporis non semel a Crypto-Calvinianorum insidiis tutas praestitit, nunc quoque ab imminentium adversariorum machinationibus clementissime defendat! P. P. Wittembergae, ipso Festo Mich. Archangeli Anni Secul. clō Iō cc XVII.

---

VVITTEMBERGAE  
LITERIS GERDESIANIS.

Th. 1379

ULB Halle

002 422 239

3



5b,

M. C.





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

47

LECTVROS  
SALVTE PLVRIMA IMPERTIT  
ET  
AD AVDIENDAM  
**ORATIONEM**  
**INAVGVRALEM**  
POSTRIDIE F. MICHAELIS  
ARCHANGELI  
*IN AVDITORIO THEOLOGICO*  
RECITANDAM  
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
INVITAT  
**GOTTLIEB VVERNSDORFIVS**  
SS. THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN.  
TEMPLI OO. SS. PRAEPOSITVS  
SENAT. ECCLES. ASSESSOR  
**ORDINISQVE THEOLOGORVM**  
H. T.  
**DECANVS.**